


**Officium**  
**S. P. N. Benedicti**



*In medio fratrum, Dominus Benedictus, ad aram  
Stans, animam sacra trahit in caelo Deo.  
Ventibus in stragem missis, nullum nocere*

*Luce suam fratres ex oriente vident,  
Dumq; stupent, habitus apparetur unicoloris honesto.  
Concedunt cœlos, huc, Benedictus, ait*

## **Ad Matutinum**

V. Domine labia mea aperies.

R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

V. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluia, *vel* Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

## **Hymnus**

Aurora surgit aurea

Festa restaurans ànnua:

Cum Benedictus àrduum

Coeli scandit palati.

Quanta in summis àccipit,

Qui sic imis clàruit:

Cujus micant prodigia,

Per ampla mundi climata,

O sacrosancta Trìnitas,

Sit tibi laus, et gloria:

Qua Benedictus frùitur,

Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Fuit vir vitae veneràvilis, gratia Benedictus, et nomine, qui ab ipso pueritiae témpore cor gerens senile, aetàtem mòribus trànsiens, nullo animum voluptàti dedit.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissiònibus Christi.

## Oremus

Deus, qui beatissimum Patrem, ac legislatorem nostrum, abstractum a mundi turbinationibus, tibi soli militare jussisti: tribue nobis sub ejus magisterio tibi serviéntibus perseverandi constantiam, et perfectam usque in finem victoriam.

Per Dominum nostrum, etc. Amen.

## Ad Primam

V. Deus in adiutorium... etc.

R. Domine, ad adiuvandum... etc.

Gloria Patri ... etc.

## Hymnus

Signifer invictissime.

Sacraeque dux militiae :

Nos Benedicte valido

Precum defende brachio.

His armis execrabilem

Leonis vince rabiem :

Quibus olim teterrimam

Pellis ab ore merulam.

O sacrosancta Trinitas,

Sit tibi laus, et gloria:

Qua Benedictus fruítur,

Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Tantam gratiam beato Benedicto virtus divina contulerat, ut sub uno Solis ràdio totum mundum collectum conspiceret.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissionibus Christi.

**Oremus** *ut ad Matutinum*

### **Ad Tertiam**

V. Deus in adjutòrium... etc.

R. Domine, ad adjuvandum... etc.

Gloria Patri ... etc.

### **Hymnus**

Urtice junctae vépribus

Vulnus curant vulnéribus:

Flammàta mens divinitus,

Ignem extinguit ignibus.

Crucem mittens, ut làpidem,

Veneri frangit càlicem :

Non valet mortis vàsculum,

Vitae ferre signàculum.

O sacrosancta Trìnitas,

Sit tibi laus, et gloria:

Qua Benedictus frùitur,

Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Erat vir Domini Benedictus, vultu plácido, mòribus decoràtus Angelicis, tàntaque circa eum clàritas exscréverat : ut in terris pòsitus, in coeléstibus habtàret.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissiòibus Christi.

### **Oremus ut ad Matutinum**

#### **Ad Sextam**

V. Deus in adjutòrium... etc.

R. Domine, ad adjuvandum... etc.

Gloria Patri... etc.

#### **Hymnus**

Frater, quem tunc nequíssimus,  
vagum reptàbat spìritus:  
dum tua virga caeditus,  
stabilitàti rédditur.

Tua caréntum gratia,  
tellus vomit cadàvera,  
devòtus unda liquida,  
sicca lambit vestigia.

O sacrosancta Trìnitas,  
Sit tibi laus, et gloria:  
Qua Benedictus frùitur,  
Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Gloriòsus Conféssor Domini Benedictus, viam Angélicam gerens in terris, spéculum honorum òperum factus est mundo: et ideo sine fine gaudet in coelis.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissiònibus Christi.

**Oremus** *ut ad Matutinum*

### **Ad Nonam**

V. Deus in adjutòrium... etc.

R. Domine, ad adjuvandum... etc.

Gloria Patri... etc.

### **Hymnus**

Totius orbis àmbitum  
Per solis vidit radium:  
mens in auctòre pòsita,  
subjécta cernit òmnia.

O virum vere coelicum,  
o rerum Dei cònscium,  
germani videt animam,  
laetam ire ad coeléstia.

O sacrosancta Trinitas,  
Sit tibi laus, et gloria:  
Qua Benedictus frùitur,  
Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Vir Dei Benedictus omnium justòrum spìritu plenus fuit, ipse intercédât pro cunctis monàsticae professionis.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissionibus Christi.

### **Oremus ut ad Matutinum**

### **Ad Vesperas**

V. Deus in adjutòrium... etc.

R. Domine, ad adjuvandum... etc.

Gloria Patri... etc.

### **Hymnus**

Sanctae soròris spìritum,  
Omni labe purissimum,  
Instar colùmbae càndidae,  
Coelum videt ascéndere.

Beata demum còrpora,  
Unum claudit sarcòphagum :  
Mens quibus una fùerat  
Par coelo servat gloria.

O sacrosancta Trìnitas,  
Sit tibi laus, et gloria:  
Qua Benedictus frùitur,  
Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Pater sanctus, dum inténtam oculòrum àciem in splenòre coruscae lucis habére viderétur: vidit Germàni anima

Capuàni Episcopi, in sphaera ignea in coelum ab Angelis defèrri.

V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiàmur promissionibus Christi.

### **Oremus ut ad Matutinum**

#### **Ad Completorium**

V. Deus in adjutòrium... etc.

R. Domine, ad adjuvandum... etc.

Gloria Patri... etc.

#### **Hymnus**

Te, summe Pater, pòscimus,

Pronae mentis viscéribus,

Ut coelum des ascendere :

Quos doces terram spèrnere.

Quae sursum sunt da quaerere ;

Sanctam servàre régulam,

Christi fovéri gratia,

Demùmque frui gloria.

O sacrosancta Trinitas,

Sit tibi laus, et gloria:

Qua Benedictus frùitur,

Per infinita saecula. Amen.

*Antiph.* Exùltet òmnium turba fidélium, pro gloria almi Patris Nostri Benedicti: laeténtur praecipue catéervae Monachorum, ejus memoria celebràntes in terris: de cujus societàte Sancti congàudent in coelis.



V. Ora pro nobis sanctae Pater Benedicte.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oremus ut ad Matutinum*

**Ad beatissimum Patrem Benedictum filialis recommendatio**

O alme Pater Benedicte, Monachorum dux monarcha, spes, et solatium omnium ad te toto corde clamantium, tuae santissime protectioni humiliter me commendo: ut propter excellentiam meritorum tuorum, ab omnibus, quae contraria sunt animae meae, defendere me digneris: atque de pietate tua abundantiam compunctionis, et lacrymarum gratiam mihi impetres: ut digne, copioseque valeam tanta mala, et offensas plangere, quibus a juventute mea amabilem et desiderabilem Dominum Jesum Christum provocavi frequentius, teque digne laudare, et venerari merear. O oliva, o vitis nimium in domo Dei fructifera. O vas auri solidum omni ornatum lapide pretioso, secundum cor Dei electum, et dulcissimum: innumerisque gratiarum charismatibus tamquam gemmis coruscantibus decoratum: te oro, te rogo, tibi toto cordis affectu, ab omnibus animae desideriiis benignissime pater, dulcisque magister supplico: ut mei miseri peccatoris memor esse digneris apud Deum: ut peccatis meis omnibus benignus indulgeat: meque in bono conservet: nec ab eo umquam discedere aliqua necessitate permittat: sed beatorum consortium, visionemque ejus delectabilem post te Pater admittat: ubi tecum, coetuque cum illo Monachorum maximo sub tuo vexillo posito, gaudere perpetuo possim: ipso Deo, ac Domino nostro Jesu Christo

prestante. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

### **Oratio**

Quaesumus omnipotens Deus : ut beatissimi Patris Nostri Benedicti discipulorumque ejus Placidi et Mauri, virginisque, ac sororis ejus Scholasticae, Sanctorumque omnium Monachorum, qui sub ejus signis, atque eo duce tibi militaverunt, meritis et exemplis, renoves in nobis Spiritum Sanctum tuum : quo aspirante, contra carnem, mundum, et diabolum viriliter decertemus : et quia sine labore certaminis non est palma victoriae, da nobis in adversis patientiam : in tentatione constantiam : in periculis consilium : da nobis castimoniae puritatem : paupertatis desiderium : obedientiae fructus : observantiae fidele propositum : quatenus tua consolatione roborati, ac fraterna devicti charitate serviamus humero uno : sicque transeamus per haec temporalia, ut ad aeternam patriam quandoque victores, et coronati, sanctorumque Monachum coetibus inserendi pervenire mereamur.

Per dominum Nostrum Iesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritu Sancti Deus.

Per omnia saecula saeculorum. Amne.